

*Balthasar, Abt des Klosters zu Zinna, Abgesandter für das Basler Conzil, bekennt, daß er den Conrad Dune bei sich aufgenommen und dessen Geständniß und Reue entgegengenommen habe.*

**Basel, 1447 Mai 3.**

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 309<sup>b</sup>.*

5

Universis et singulis presentes litteras inspecturis frater Baltasar, abbas monasterii Czinnensis, sacrosancte generalis Basiliensis sinodi minor penitenciaris, ad presens Basilee commissarius unicus a reverendo in Christo patre et domino, domino Burchardo, miseracione divina tituli sanctorum quatuor coronatorum sancte Romane ecclesie presbitero cardinali, Aquensi vulgariter nuncupato, in ausencia reverendissimi in Christo patris et domini Ludewici eadem miseracione tituli sancte crucis in Ierusalem presbiteri cardinalis de hominibus vulgariter nuncupati, maioris penitenciaris, per dictam sacrosanctam generalem Basiliensis synodum deputati eidem commissa, salutem in domino et presentibus indubiam fidem adhibere. Litteras ipsius reverendissimi in Christo patris et domini cardinalis prefati, quibus presentes nostre sunt annexe, nobis per discretum virum Conradum Dunen clericum Magdeburgensem diocesis presentatas cum ea qua decuit noveritis reverencia recepisse, post quarum quidem litterarum presentacionem et receptionem, nobis et per nos ut premittitur factas, fuimus per prefatum Conradum principalem, quatenus ad earundem litterarum et contentarum in eisdem execucionem procedere dignaremur, debita cum instancia requisiti. Nos igitur Baltasar, abbas et commissarius prefatus, attendentes requisicionem huiusmodi fore iustam et rationi consonam, volentesque mandatum reverendissimi in Christo patris et domini cardinalis prefati reverenter exequi, ut tenemur, ipsius Conradi ad nos absoluti remissi, coram nobis personaliter constituti confessionem diligenter audivimus, iniunximus inde sibi pro modo culpe penitentiam salutarem, quam secundum deum anime sue saluti vidimus iniungendam aliaque fecimus, prout et quemadmodum in dictis commissionibus litteris recepimus in mandatis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras litteras per modum annexe exinde fieri sigillique officii minorum penitenciarum iussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum Basilee in ecclesia fratrum minorum, die vero Mercurii, tertia mensis maii, anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quadragésimo septimo 20 30

*Bischof Johannes von Merseburg theilt der Universität mit, daß er, sowie Erzbischof Friedrich von Magdeburg, Bischof Peter von Naumburg und andere Prälaten der Magdeburger Provinz, sich für Papst Nicolaus erklärt hätten.*

**Merseburg, 1447 Aug. 15.** 35

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 32.*

*Gedr.: Cochläus, historiae Hussitarum lib. IX, 347.*

Iohannes dei gratia episcopus ecclesie Merseburgensis.

Sincera salutatione premissa. Venerabiles amici dilecti. Recepimus litteras